& quos receptavit . Quæ omnia patent in propriis Rubricis .

CAP. VIII.

Quod Punzilupus loquutus eſt verba hæretica dicendo male , & detrahendo Miniſtris Eccleſiæ , appellando eos Dæmones & Lupos rapaces pro eo quod ipſi perſequuntur bonos homines ideſt Hæreticos ; & commendando Hæreticos , appellando eos bonos homines ; & blaſphemando & deteſtando juſtitiam , quæ fit de Hæreticis , dicendo per verba ſua , quod *peccatum erat comburere bonos homines* , ideſt Hæreticos .

FRater Bonfadinus de Ordine Prædicatorum, in MCCLXX. die III. exeunte Decembri, juratus dicit , quod Punzilupus publice in Platea, quando videbat religioſos Fratres Prædicatores, vel Minores , flectebat genua , & dicebat: Ecce Dæmones . Ecce Lupi rapaces .

Frater Johannes Miniſter Fratrum de Pœnitentia , in MCCLXX. die XI. intrante Decembri , juratus dicit , quod audivit Punzilupum frequenter dicentem multa mala de Paſtoribus Eccleſiæ , & viris Religioſis , & Eccleſiaſticis. Et dicit , quod audivit eum dicentem , quod ex quo homines dediti erant Credentibus Hæreticorum , numquam poterant inde evelli .

Tancredus , qui fuit Credens Hæreticorum , in MCCLXXI. die XII. intrante Decembri, juratus dicit , quod tempore , quo Punzilupus fuit captus pro hæreſi per Fratrem Aldevrandinum, audivit eum dicentem , quod numquam diligeret Fratrem Aldevrandinum , quia fecerat ignominiam de corpore ſuo; & quod Frater Aldevrandinus erat Lupus rapax .

Frater Albizo de Ordine Fratrum Prædicatorum , in MCCLXX. dicit verbo veritatis , quòd quum ſemel iret ipſe & alius Frater cum quondam Catharo , qui ducebatur ad ignem , prædicando eum , quod Punzilupus ſequebatur eos , & ibat modò ad iſtum , modò ad illum , dicendo : Iſti ſunt Dæmones . Iſti ſunt Lupi rapaces , qui faciunt comburi bonos homines. *Item dicit , quod pluries vidit Punzilupum in Platea Civitatis Ferrariæ , & alibi flectendo genu , & dicendo* : Utinam Deus non parcat mihi, ſi ego umquam parcam ſibi propter Fratrem Aldevrandinum , qui eſt Lupus rapax , & filius Diaboli , quia interficit bonos homines .

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXV. die penultimo Januarii , juratus dicit , quod a vigintiſeptem annis citra, pluſquam centies audivit Punzilupum dicentem cum patre ipſius teſtis , qui erat Credens Hæreticorum , mala de Miniſtris Eccleſiæ, dicendo , quod erant mali homines , & non faciebant opera Dei , nec erat in eis , nec in Fide Romanæ Eccleſiæ ſalus; ſed erant deceptores animarum ; & quod erant Lupi rapaces , qui perſequebantur bonos homines, & Eccleſiam Dei, intelligendo de Eccleſia Hæreticorum . Item dicit , quod poſtquam audierat , quod Frater Aldevrandinus fecerat ipſum Punzilupum jurare mandata Eccleſiæ , per aliquod tempus combuſtus fuit quidam Hæreticus , nomine Martinus de Campitello . Et dum duceretur ad comburendum, audivit Punzilupum dicentem pluribus audientibus : Videte , qualia opera ſunt iſta ! comburere iſtum verulum bonum hominem ! Terra non debet ſuſtinere illos , qui faciunt talia .

Albertinus , qui fuit Hæreticus , in MCCLXXIII. die III. intrante Auguſto , juratus dicit , quod Punzilupus venit Veronam , jam ſunt ſex anni . Et tunc ipſe Punzilupus fuit Conſolatus ab Hæreticis . Et tunc quæſierunt ab eodem Punzilupo , ſi acceperat pœnitentiam a Lupis rapacibus , qui perſequuntur bonam gentem, hoc eſt ab aliquo Fratrum Prædicatorum vel Minorum , vel ab aliquo alio Sacerdote Romanæ Eccleſiæ . Et reſpondit , quod non accepit nec acciperet ab aliquo de Lupis rapacibus . Et dicit , quod tunc abſolverunt eum a ſacramento , quod fecerat Fratri Aldevrandino Inquiſitori de ſtando mandatis Eccleſiæ Romanæ .

Magiſter Ferrarinus de Lignamine in MCCLXX. die VIII. intrante Auguſto , dicit, quod audivit Punzilupum dicentem , quod Martinus de Campitello , qui fuit Hæreticus , erat bonus homo . Et dicebat , quod ſi haberet bonos homines , loquendo de Patarenis , quod non permitteret eos comburi . Item dixit , quod dictus Martinus erat bonus homo , & ſi haberet ipſum in domo ſua , quod non dimitteret eum comburi pro poſſe ſuo , nec alios . Item dicit , quod audivit Punzilupum dicentem , quod Fratres Minores & Eremitæ erant mali homines , & Fratres Prædicatores erant pejores , & quod ipſi erant Lupi rapaces , qui deſtruebant bonos homines , qui faciebant bona opera , loquendo de Patarenis .

Tancredus , qui fuit Credens Hæreticorum , in MCCLXXI. die XII. exeunte Octobri , juratus dicit , quod tempore , quo combuſtus fuit quidam Hæreticus ſenex , jam ſunt circa quatuor anni , audivit Punzilupum dicentem, quod combuſtus erat quidam ſanctus Pater , loquendo de illo Hæretico .

Domina Veneria , quæ fuit Credens Hæreticorum , in MCCLXXXIV. die penultimo menſis Novembris , jurata dicit, quod duobus annis vel circa ante mortem Punzilupi , quando ipſe Punzilupus ibat quærendo eleemoſynas pro carceratis, *frequenter intravit domum habitationis ipſius teſtis : & hortabatur ipſam teſtem , quod eſſet firma in fide Hæreticorum, dicendo , quod in ipſis ſolis erat ſalus , & quod erant boni homines . Et quum dicta teſtis aliquando diceret ei* : Quomodo decipitis Mundum , quia portatis Crucem , & videmini eſſe multum de illis de Eccleſia Romana? *ipſe reſpondebat*: Non. Eſt ibi vis ; quia facio ad hoc, ut non cognoſcar .

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIII. die IV. intrante Julio , juratus dicit , quod Punzilupus dicebat multa mala de Clericis .

Bonmercatus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die VII. Aprilis , juratus dicit , quod circa unum annum & dimidium ante mortem Punzilupi , ipſe teſtis loquendo cum Punzilupo juxta domum Epiſcopalem de Ferraria , petivit a dicto Punzilupo , quomodo ſtaret cum Fratre Stephano Ordinis Prædicatorum . Qui reſpondit , quod male , eo quod erat malus homo ; & quod boni homines ſunt ſolùm Hæretici , & qui tenent viam eorum , & quod ipſi ſoli ſunt in via ſalutis , & nulli alii . Et hoc ipſum , & ſimilia verba audivit ipſe teſtis frequenter poſtea a dicto Punzilupo .

CAP.